



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 137. Iudæi autem clamabant. v. 12.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

verbis in eum debachatus est, pro ut alius crudelis magistratus facere potuisset, qui irrogatam sibi contumeliam non tam pugnis quam evaginatiss gladijs vindicari iussisset? nihil autem tale hic video; sed inventus est tanta moderatōnis, ut multo cupidius quam antea occasiones Christum dimittendi perquisierit, omnes quoque vias attentaverit quibus illum liberum dimittere posset. Erubescat igitur quisque crudelis, qui in proximum e commoveretur, quod ab eo recta agere monetur: sed imitari Pilatum studeat, qui quamvis à Christo captivo esset reprehensus opportunitatem tamen quærebat, ei benefacienti ac dimittendi.

**O** Quam cito ego irascor ad leve verbum vel bonam & iustam admonitionem! quam longe absum à perfectione hac Pilati Idololatræ!

§ 137. *Iudæi autem clamabant. v. 12.*

Adversus hanc Iudicis æquitatem pertinaciter, non criminum probationibus, sed insanis vociferationibus, flagitant Iudæi, ut crucifigeretur Iesus, & locuti sunt adversus eum lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt eum, clamores enim illi quid aliud sonabant, quam odium, de quo, non semel, sed aliquoties planxit Dominus apud David, dicens: *pro eo ut me diligere, & detrahebant mihi: & posuerunt adversum me mala pro bonis & odium pro dilectione mea:* quasi diceret, dilectionem erga me exercere debebant, isti autem tantum odium exercuerunt.

**D**omine Iesu Rex pie & sapiens Deus meus cum traditus es omnem patientiam præbuidisti, non clamaisti, nec in plateis aliquis te clamantem audivit: habeam ergo & ego silentium illud, quietem & pacem, ut vincam minas, & tribulationes omnes in patientia, ne de me habeat occasionem querulandi unquam inimicus meus coram te.

§ 137. *Dicentes: si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. v. 12.*

Non ignorabant Pontifices Scribæ & Pharisei multos apud Imperatorem Tiberium atque Augustum Reges, Præsides etiam innocentes accusatos fuisse damnatos, privatos officijs, morte etiam punitos, ideo dicunt ei, ut sibi prospiciat, ne tanquam innocentem hunc Christum, illis autem inimicum, dimittat, ne forte cogantur Præsidem accusare apud Cæsarem, quod magis sit Christi Iesu amicus, quam Cæsaris, forte etiam Pilato perduellionis erimen intentabant, qui regni affectatorem, spe præmiorum, in Provincia Romana Cæsaris filico addicta tolerasset, imo contra Provinciales accusantes defendisset.

¶ 3

O dia